



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 7. S. Catharina Senensis desidero Eucharistiæ, Eucharistia potitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

ac, paulo post, etiam ordinem religiosum professus, ex eorum numero, quos *Conuersos* appellant. Ille, cum ceteris Monachis Eucharistiã porrigi vidisset, sibi que idem non licere, vehementer doluisset, *stans contra altare communicandi desiderio suspirauit. Et ecce pius Dominus, sine sacerdotis ministerio, de altari, per Sacramentum, descendere dignatus est, in os eius; qui mox hostiam aperto ore ostendens, Et causam tantæ gratiæ manifestans, cunctos, qui aderant, in stuporem conuertit: eandem enim hostiã defuisse reppererunt in altari.* Adeò placet Deo desiderium piorum. Desiderat desiderantes; & qui illum accedere non possunt, eos ipse accedit: quia *uoluntatem timentium se facit.*

## S. VII.

*S. Catharina Senensis desiderio Eucharistiæ Eucharistiã potitur.*

Quod etiam, in Senensi Catharina, conspicuum fuit. Laborabat illa iliaco aliquando malo: sed quia doloris remissionem sperabat, Raymundum, qui à confessionibus illi erat, rogauit, vt sacrificium tantisper differret, donec ipsa interesset, & sacrâ Synaxi refici posset. Continuato diutiùs dolore, iubet eum, etiam se absente, sacrificare,

D. Antonin. 3. p.  
Chron.  
tit. 23. c.  
14. §. 8.

care, ne mora nimis longa esset. Eo agente, remittit dolor, & mox illa, inscio mysta, adrepat, atque in remoto angulo confidet. Dum frangeret hostiam sacerdos, particula hostiæ ex oculis illius subducta est, vtraq; parte maiore, in manibus eius remanente. Vndiq; diligenter circumspicit, nusquam particulam, reperit. Peracto sacro, Catharina eum interrogat, cur tristitiam vultu præ se ferat? Hostiæ particulam abs se amissam, ait ille. Et illa: *Quæsuisti, inquit, diligenter? Quæsiui,* respondet ille. Tum illa subridens ait: *Non erat necesse, te propterea tristari. Equidem arbitror, inquit ille, te mihi illam abstulisse.* Et illa: *Non mihi inquit, vitio veritas, quia non ego sed alius abstulit. Hoc tamen scias, velim, quòd nunquam inuenies.* Tum falsa est, sibi diuinitus delatam fuisse; *Dum enim socia mea, inquit, nolent, ut cōmunicarem, ne ipsis molestiam adferrem, acquieui. Recurri interim ad benignissimum sponsum meum IESVM Christum, qui sublatam particulam, ad me detulit; ideoq; noli contristari, sed potiùs, gaude, in ipso, cum gratiarum actione.* Planum est igitur, tam preciosa esse piorum hominum desideria; vt Deus ipse iudicet ea diuinitus implenda, ù impleri

non possint aliunde. Quanquam non opus est, vt ea miraculis semper impleat: implet satis, si diuinâ gratia implet. Quod etiam facit per *spiritualem communionem*.

§. VIII.

*Realis & spiritualis communionis differentia.*

Nam hîc mihi silendum non est, quod Theologi, cum D. Thoma Aquinate, omnes docent, atque ex hac ipsa Dei bonitate consequens est; eos, quibus, quacunq; demum ex causa, non conceditur, SS. Eucharistiam *Sacramentaliter* sumere, quàm frequentissimè illam saltem *spiritualiter* sumere aut posse, aut oportere. Gratissimum enim est Christo, corde ei nos iungi, si ore simul iungi non possimus. Nobis autem hæc coniunctio prorsus necessaria est. Neque ea res fructu caret. Quia effectû Sacramenti magnum percipere potest, qui Sacramentû habet in voto, tametsi illud in re non accipiat. Quemadmodum enim multi *baptismo flammis* baptizantur antè, quàm baptismo aquæ baptizentur, propter inflammatum baptismi desiderium; ita etiam plurimi SS. Eucharistiam *spiritualiter* manducant, eam impensè desiderando, licet *Sacramentaliter* non

S. Thom.  
3. p. 7. 20.  
art. 1. 2.